

# PALAESTRA LATINA

## SUMMARIUM

Palaestra Exercitatoria - Exercita-  
tiones scholares

Auspicatum Rom. Pontificis Docu-  
mentum,

Dilecto Filio P. Schweiger,  
Rdmus. P. Petrus Schweiger.

Lucretiana,

Curriculum Salmanticense II,

Votum pro definienda Assumptione.

Carmen saeculare,

Pro M. Tullio Cicerone peroratio,

Commercium epistulare

Nova et Vetera

Bibliographia,

Compositiones vertendae.

Curiosa et Jocosa,

MIR

PIUS PP. XIII

ORTH

JIMÉNEZ

SARMIENTO

AVENARIUS

MIR

MAULEÓN-MOLINA-MIR

MAULEÓN

Ordinarii et Superiorum licentia

AN. XIX · N. 118

MM. OCTOBRI - DECEMBRI

[www.culturaclasica.com](http://www.culturaclasica.com)



## Palaestra Exèrcitatoria

Eis Ἐρωτά

Ἐρως ποτ' ἐν ρόδοισι  
Κοιμωμένην μέλιτταν  
Οὐκ εἶδεν, ἀλλ' ἐτρώθη  
Τὸν δάκτυλον πατάξας  
Τὰς χειρας, ὥλοιλυξε.  
Δραμὼν δὲ καὶ πετασθείς,  
Πρὸς τὴν καιλὴν Κυθήρην,  
«Ολωλα, μάτερ, εἰπεν,  
—Ολωλα, χάποθνήσκω.  
ὅφις μ' ἔτυψε μικρός,  
Πτερωτός, ὃν καλούσιν  
Μέλιτταν οἱ γεωργοί.»  
Ἡ δ' εἰπεν —Εἴ τὸ κέντρον  
Πονεῖ τὸ τῆς μελίττας,  
Πόσον δοκεῖς πονοῦσιν,  
Ἐρως, δσους σὺ βάλλεις;»  
ANAKP. ΩΙΔΗ μ'.

## AL AMOR

No vió dormida entre rosas  
el Amorcillo una abeja,  
y le picó. Sacudiendo  
sus manos y dando quejas  
al aire, tendió las alas  
a la hermosa Citerea:  
—«¡Estoy perdido!», le dijo,  
Madre, preciso es que muera;  
me hirió una serpiente alada  
muy pequeñita, que abeja  
la llaman los labradores».  
—«¡Ay mi Cupido, dijo ella,  
si así el aguijón te duele  
de una abejita, ¿cuál piensas  
penarán aquellos que haces  
víctimas tú, de tus flechas?».

CANUTO CEBRIÁN, C. M. F.  
*Valls*

## Exercitationes Scholares

### TERENTIUS (III)

De qua re facta in comoediarum praefatione Terentius queritur; ne autem claros illos viros offenderet, quibus nimis erat laudi, levius se defendisse videtur. Invidiam igitur fugiens, Graeciam petivit, sed cum a scaenica graecorum poësi instructior in patriam se reciperet, secum centum et octo comoedias a Menandro versas afferens naufragium passus est. Alii vero Stymphali mortuum scripserunt.

V. MARTINEZ, C. M. P. — S. GUTIERREZ, C. M. P.

*ex V. latinitatis cursu*

Xeræ Equitum. apud S. Augustinum

---

Libenter lectoribus nuntiamus in Seminariis Pampelonensi, Valentiano, Malacensi quæ sedam exercitia ac lulos scaenicos —ad latinitatem fovendam— producta esse, quæ cum aliis nuntiis ab extérnis et nostratibus allata in proximo fasciculo edentur.

## Auspicatum Romani Pontificis Documentum

PALAEASTRA nostra LATINA saepius laeta prodiit facie, saepius nobilibus ornata praeconiis exsultavit praesertim cum viri clarissimi ac vel ipsi Romani Pontifices eam summis cumularunt laudibus.

In praesentia autem PALAEASTRA LATINA exsultat atque jubilat cum Congregatione Claretiana, quae, dum centesimum annum ab ipsa condita agit, laudibus et gloria ubique honestatur, ac vel ipse Romanus Pontifex, animum paternum in eam significare et «cumulum laetitiae adjicere cupiens», documento AUSPICATO, ponderoso, gravibus sententiis abundantि elegantique dicendi genere perornato, voluit collaudare. Quo quidem augusto documento decora sanctitatis Congregationis Claretianae luculenter effulgentia commemorantur, augmentum atque per terrarum orbem diffusio, salutifer apostolatus Claretianus — quem ubique Christi fideles persentient —, insomnis atque indefessa vitae actio, assidua virtutis exercitatio, frequens verbi Dei praedicatio, doctrinarum institutio, librorum ubique terrarum per artem typographicam impressio atque latissima evulgatio, ceteraque; inter majoris autem ponderis opera edita COMMENTARIUM PRO RELIGIOSIS ET MISSIONARIIS atque PALAEASTRA LATINA, — «ad humaniores litteras provehendas» — recensentur atque laudantur.

Romano igitur Pontifici ob suam paternam benevolentiam, qua PALAESTRAM nostram inter egregia Congregationis opera annumerare voluit, ob gratulationem atque commendationem, qua nostra secundis votis prosequitur, gratias toto pectore referimus amplissimas, illudque, ipso Romano Patre ac Pontifice praesagiente atque instantे, tota mente et animo conabimur ut nova et «felicia sumamus auspicia ad meliora et ampliora prosequenda».

JOSEPHUS M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F.  
Palaestrae Latinae Moderator

Barbastri, X Kal. Novembres, die festo Beati Patris nostri Claret.

DILECTO FILIO PETRO SCHWEIGER  
Moderatori Generali Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis  
PIUS PP. XII



*Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.*

*Auspicato sane contingit, ut, illucescente Sancti Anni nuper indiidi aurora, Clarettianae familiae laudes et sanctitatis decora per saecularia sollemnia luculenter effulgeant. In comperto est enim, quot ista sodalitas, centum annorum decursu, religiosorum agminibus aucta sit, quamque longe per orbem terrarum diffusa, ita ut Hispania omnesque fere Americae regiones et quaedam Europae partes,*

*ut Gallia, Italia, Lusitania, Anglia et Germania, salutiferum Clarettianum apostolatum persenserint et nonnullae quoque Africæ Asiaeque plagae illius habuerint initia.*

Constat equidem Beatum Antonium Mariam Claret, praeclarum legiferum Patrem vestrum, hanc veluti insignitam in animis Deo quaerendis sibi gloriam comparasse, antiquis virtutibus munieribusque evangelii praecorum nova quaedam progradientis civilis cultus inventa convenienter adhibuisse, ita ut cum rerum divinarum contemplatione adsiduaque virtutum exercitatione conjungatur a sodalibus Clarettianis insomnis atque indefessa vitae actio, frequentique verbi Dei praedicationi doctrinarumque institutioni adjiciatur crebra salutarium scriptorum per artem typographicam impressio et latissima per populos evulgatio.

Quis itaque enumeret, quot uberes salutis fructus ediderit hujusmodi apostolatus, in tanta praesertim recentiore liberculorum foliorumque colluvie, quae a nefariis hominibus ad mentes animosque pervertendos ex industria imprimuntur et late disseminantur?

Neque vero deficiunt majoris ponderis opera e vestris scholis officinisque typographicis edita, praesertim de re theologica, philosophica, liturgica, sociali, deque jure et quaedam commentaria etiam ad sacras

*foventias Missiones utilia, ut «Commentarium pro religiosis et missionariis», vel ad humaniores litteras provehendas, ut PALAESTRA LATINA.*

*At varia hujusmodi et constans sacri ministerii magisleriique sollicitudo perque Actionis Catholicae vias ac rationes explicatio languefacere non potuerunt ardorem, quo Claretiani sodales inflammantur, ad perfectionem religiosam prosequendam, quinimmo multi ex iis praeclara sanctitatis exempla a Beato Fundatore tradita in se reddere ac referre studuerunt; de quibus deque illis non paucis, qui sanguinem quoque, uti fertur, in testimonium fidei profuderunt, Ecclesia in eo est ut suum feral judicium. Optimo igitur jure ac merito universa Congregatio, cui ipse moderaris, saecularem gloriose vitae cursum respiciens, quam maxime conlaetatur atque ex praeclaris hucusque gestis, licet inter res plures adversas interque graves difficultates et vicissitudines, felicia sumit auspicia ad meliora et ampliora prosequenda. Communem hanc sodalitatis vestrae laetitiam participant profecto omnes laborum operumque socii, in primisque Religiosae docentes ab Immaculata Concepcionē.*

*Nos autem, qui plane cognitas habemus vestram fidelitatem dilectionemque erga Beati Petri Cathedram et sollertiam, qua exercetis munera ab Ordinariis locorum et ab Apostolica ipsa Sede vobis credita, sive in animarum cura obeunda, sive in sacris agendis Missionibus sive etiam in magisteriis apud Pontificia Athenaea vel gravibus officiis Romanae Curiae sustinendi, cumulum laetitiae adjicere cupientes, vobis de ejusmodi eventus faustitate paterno animo gratulamur et sollemnia vestra saecularia Nostra commendatione secundisque votis prosequimur.*

*Omnis autem Missionarios Filios Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis vehementer exhortamur, ut, splendentibus Beati Conditoris vestigiis inhaerentes, alacrius quotidie pergant in perfectione religiosae vitae appetenda, ut exinde veluti e vividiore radice majus instituti ipsius incrementum latiusque proximorum salutis emolumentum efflorescant vigeantque.*


*Quorum quidem in auspiciū inque peculiaris amoris nostri pignus, Apostolicam Benedictionem tibi, Dilecte Fili, cunctaque Claretianae Congregationi ejusque auxiliaribus, nominatim Religiosis docentibus ab Immaculata Concepcionē amantissime in Domino impertimus.*

*Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XVI mensis Julii,  
in Commemorationē Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo, anno  
MCMIL, Pontificatus nostri undecimo.*

*PIUS PP. XII*

# Rdmus. P. Petrus Schweiger, C. M. F.

Superior Generalis



Die 24 m. maji  
fausto nuntio omnes  
Congregationis Clare-  
tianae socii laetabamur.  
*Reverendissimus P. Petrus  
Schweiger a Patribus Ca-  
pitularibus —apud  
Castelgandolfo— Su-  
perior Generalis est  
renuntiatus.*

Deo et Cordi Ito.  
Mariae maximas gra-  
tias rependimus, qui  
talem egregium virum  
ad regendam congrega-  
tionem, centenaria re-  
currente commemora-  
tione, electum volue-  
runt. Qui quidem vir  
est in omnibus huma-  
nis disciplinis apprime  
exultus. Cathedram  
juris Romae aliquot  
annos sustinuit, ubi a  
discipulis doctor est

appellatus clarissimus. Praecipuas Europae linguas pure ac diserte loquitur;  
classicas quoque optime callet.

Dominus eum e manibus communistarum eripuit, qui nos regeret, nos-  
tra foveret atque dilataret.

„Palaestrae Latinae“

sphemeridi Latinitatis acor classicæ  
solendæ deque ea ad nostre  
acor res apstanta optime meri-  
tiae pontificiam Pii Papas XII  
collaudationem gratulantes,  
novas in dies ascensiones,  
lemmate duce „Ad meliora et  
ampliora“, toto corde exulta-  
mus et benedicentes a domino  
ad preciamur.

P. Petrus Schweiger Maf,  
Superior Generalis.

Pagellas nostras Rmi. P. Superioris Generalis litteris propria  
manu scriptis ornatas conspicis. Ipse enim cum Hispaniae Provin-  
cias inviseret, Collegium Barcinonense perlustravit nostrumque  
cum sede PALAESTRAE LATINAЕ, et animos ad nova prose-  
quenda addidit suaque vota istis litteris expromere voluit.

Quibus studiose obsecundare curabimus. Ei gratias quam  
plurimas!

# LUCRETIANA

313: cum *probrior* caliginis aēr ater init oculos...

aēr prober dicitur, quia faciem hominis spurcam reddit; hoc adjectivum rarissime occurrit. cfr. GELLIUS, IX 2, 9. ERNOUT-MEILLET 812.

545: et validis *nervis oti* hortis ex Heliconis...

iste versus valde mutilatus hoc modo reparari videtur; *oti* = ὡτοί sunt bubones.

587: capit is *vil amina* quassans...

*villamina* sunt crines. Vocabulum illud cum «villo» cohaeret; Lucretius novum vocabulum effinxit, quod optime ad sensum quadrat; codices scripserunt: *ullamina* ubi deest «i»; ergo legamus *villamina*. cfr. ERNOUT-MEILLET 1108.

612: dum transit clausa *casarum...*

«casarum» excidit haplographia et similitudine litterarum (clausa-casa).

615: hoc *quia* sentimus sucum

«hoc» significat «propterea» et sequitur «quia», index causae.

616: plusculum habent in se rationis, plus opere *atque...*

«rationis» dependet a «plusculum», et a «plus» dependet «opere» id est antiquus genitivus «operis (=opus, -eris)». «atque» significat «etiam» vel «quoque» et melius hic scribitur «adque». cfr. STOLZ SCHMALZ: *Lat. Grammatik*, 5. edit p. 657.

830: utraque *e parte*

«e» halographia post que excidit, idcirco non «ex» scribendum.

990: carceribus patefactis *praecipitari*

equi quoque in somnis motum prorumpendi faciunt; cfr. II 264.

1013: *redas* expugnant...

*redae* sunt magni carri qui expugnantur. Error codicum sic ortus est: *redas, reges.*

1026: *pulli* saepe lacum propter se ac dolia curta  
somno devincti credunt...

*pulli* sunt infantes, qui jam stare possunt. Codices erraverunt scribentes «puri» hoc loco nec de puris hominibus nec de pueris agitur, sed de infantibus inde a duobus annis.

1168: at *iamina* et mammosa ceres est...

*iamina* est vox Graeca (=iamene) et significat feminam quae tam lata et extensa quam spongia est; alliteratio *iamina* et *Iaccho* ambo vocabula conjungit.

1282: ut facile insuescat secum *quem* degere vitam.

«quem» stat pro forma «aliquem».

298: tremere ignibus *instar* / instant...

«*instar*» significat «tamquam», pertinet ad «ignibus»; fortasse «*instar*» hoc loco conjungitur cum dativo metri causa, utpote cum «ignium» tolerari nequeat; exstant exempla, ubi «*instar*» cum dativo vel ablativo usurpatur. cfr. ERNOUT-MEILLET 490; error codicum sic exstitit: *instar*, *instare*, *instant*; subjectum sententiae est: *taedae*.

412: hominum *villas* quando obruit undis...

error scripturae ita coepit: *villas*, *uuillas* (dittographia -u), *mullas*, *multas*.

485: terram verberibus crebris extrema ad limina *parvam*...

agitur de terra, quae radiis solis ita condensatur ut *parva* fiat.

503: nec liquidum corpus turbantibus aëris auris *commiscit*.

«*commiscit*» est forma vulgaris verbi miscendi secundum tertiam conjugationem; ergo *miscere* et *commiscere*. cfr. *Thesaurus linguae latinae* III 1896, 25.

507: modice fluere atque uno posse aethera nisu

significat *Ponto* mare...

«*mare*» est subjectum verbi «*significat*», *Ponto* est ablativus instrumenti dependens a verbo «*significat*»; *Ponto* = exemplo Ponti.

563: ut aér conjuncta *est* terris et nobis est animi vis.

«*aér*» est in lingua antiqua etiam feminini generis, cfr. *Ennius* ann. 454: aér fulva. Propterea codices recte «*conjuncta*» scripserunt, et addi debet: *est*; (*conjuncta est*). cfr. R. KÜHNER: *Gram. d. lat. Sprache* I (1912) 379.

586: quoscumque in terris cernimus *aestus*...

«*aestus*» haplographia post «-nimus» excidit.

614: nec ratio solis simplex *nec* recta patescit

ut «*simplex*» negatur (nec), ita «*recta*» negari potest et debet (nec).

706: luna potest... inque dies magis *illumene* convertere nobis

ut poëta aliis locis nova vocabula creavit. ita hoc loco nos ipsi novum substantivum Lucretio praebere possumus «*illumene*»; nam metrica pleniore formam «luminis» postulat. Sic Lucretius augmen, *adaugmen* formavit; ex verbo illuminandi «retrograde» substantivum «*illumene*» finximus.

736: ordine cum *pateat* tam certo multa creari

omnibus patet multas res certo ordine creari.

753-763 est novum Epicuri fragmentum recuperatum ex Joanne Philopono, qui commentaria ad Aristotelem scripsit in *Analytica Posteriora* (Berolini 1909) XIII 3 p. 330, 18.

833: porro aliud *procrescit*

Lucretius saepius hoc verbo utitur; error scripturae ita ortus videtur: scriba «pro-» omisit recordans «porro».

901: flamma quidem *solis*...

Solis flamma corpora leonum fulva torreri solent.

1002: *Ne temere in cassum frustra mare saepe coortum / saevibat...*  
«*ne*» significat: *certo*, hercle; est particula affirmativa. Error codicum hoc modo evenit: *ne*, nec.

1010: *nunc dant letum sollertia opsis.*  
«*opsis*» (verbum graecum: *opsón*) significat cibos; *opsis* est ablativus instrumenti. Error codicum sic accidit: *opsis*, ipsi.

1065: *longe alio sonitu rabie constricta minantur...*  
«*constricta*» scribendum est pro simplice «*stricta*» metri causa. «*rabie*» est ablativus causae quoad «*constricta*»; «*minantur*» ponendum est propter subjectum vs. 1063-64 «*magna ricta*»; saepius codices formam singularem pro plurali ponunt (more graeco): si subjectum est neutrum plurale, verbum finitum est singulare; *ricta constricta* sunt et minantur.

1077: *et cum sese altans concussis artibus hinnit.*  
equus hinnit etiam alte saliens, error codicum ita evasit: I. *sese*, *sec*, *sic*. II. *altans*, *aliens*, alias.

1160: *et celata sua in medium et peccata dedisse.*  
«*sua*» significant hoc loco secreta privata; cfr. IV 962-965, 985-986. cfr. DiOG. LAERT. X 151 nr. 35.

1190: *dia dies et nox et noctis signa severa...*  
«*dia*» optime convenit ad «*dies*»; error scripturae ita evasit: *dia*, *diva*, *uiua*, *luna*. cfr. V 1387 *otia dia*.

1339: *boves lucae ferro male nactae...*  
«*nactae*» significat «*prehensae*» a verbo «*nancio*» (unde postea «*nancis-*  
*cor*»); «*nactae*» est idem ac «*pulsatae, iactae*»; cfr. ERNOUT-MEILLET 652.

1442: *mare velivolis florebat navibus Pontus*  
Servius grammaticus notat: Lucretius «*florebat navibus pontus*»; sed «*mare*» legitur jam in versus initio, ergo «*pontus*» teneri potest tunc tantum, quando maiuscula littera scribitur «*Pontus*». cf. V 507 «*Ponto mare*»; tunc versus hoc modo sonat: «*florebat navibu(s) Pontus*».

1449: *vestes, bona cetera de genere horum...*  
«*bona*» sunt res diversae, quod vocabulum omiserunt codices. «*cetera*» solum positum pugnat contra modum poëticum.

1451: *politos usus et impigrae simul experientia mentis...*  
«*politos*» est nominativus antiquus in -os desinens; ad «*usus*» postulatur adjektivum (=politos) sicut ad «*experientia*» attributum accedit «*impigrae* mentis».

(sequar).

EMIL ORTH

## Curriculum Salmanticense alterum

### ad humaniores litteras fovendas

Iterum hac aestate mense augusto, in almam Pontificiam Universitatem fervidi ex tota Hispania ex Lusitania quoque, Belgio, Italia, immo ex dissitis Americae plagis, ecclesiastici professores adibant, ut curriculo altero de litteris classicis per XX dies adessent sub auspiciis *Exmi. ac Rmi. Dris. Francisco Barbadillo Viejo*, Episcopi Salmanticensis magnique Universitatis Cancellarii.

In quo nescio quid magis laudandum, an mira concurrentium frequentia, an magistrorum doctrina et peritia, an denique auditorum concordia et mirum aemulationis studium.

\* \* \*

Nam de frequentia, quid tam novum, tam praeter consuetudinem, quid vero tam inauditum, tam insolens, tam incredibile quam ut plus CXL ex Seminariis et religiosis Collegiis magistri, post scholaris curriculi labores defessi, feriis aestivis valedictis, se non inviti in quattuor cottidianas scholas detruderint? Nisi amore doctrinae ad majora semper et ampliora advecti essent, insanire viderentur.

Neque tantum audientium frequentia; mirandum quoque omnium aemulatio desideriumque in varias disciplinas a magistris propositas. Quo aestus magis premebat eo ardenter et callidius fervebat opus.

Quid vero de ordinatione curriculi et magistrorum diligentia et doctrina? Paucis absolvam.

\* \* \*

Quod ad litteras latinas attinet, en magistri eorumque sermones.

*Prof. Jos. Guillén, Pter.*, Salmanticae praceptor et societatis nostrae moderator, disseruit copiose quidem et sollerter de contentione quae de stilo attico appellatur, ad quam ansam praebuit *Orator Ciceronis*, quem nonnullis lectio-



nibus explanandum suscepit. Ipse quoque in curriculo de lingua et litteris hispanis in cognitione praxe recte dicendi magister apparuit.

*Prof. Jos. Rodríguez, Pter.*, de necessitate et ordinatione lexici hispani-latini et latini-hispani copia argumentorum sermonem instituit.

*Prof. Isidorus Rodriguez, O. F. M.*, de Prudentio poëta christiano, in quo est apprime versatus. mira eruditio, auditorum animos arripuit.

*Prof. Jos. M.<sup>a</sup> Mir, C. M. F.* «PALAESTRAE LATINAЕ» moderator, regulas proximique latini sermonis auctoritate, qua maxima gaudet, proposuit.

*Prof. Jos. Jiménez Delgado, C. M. F.*, de subjunctivi latini origine, vicissitudine, natura, usu per quinque scholas egit.

\* \* \*

Lectiones de graecis litteris hac ratione ordinatae sunt.

*Prof. Henricus Basabe, S. J.*, Demosthenem, eximum oratorem principem, in Philippicas orationes degustandum tradidit.

*Prof. Theophilus a Gusendos, O. F. M. C.*, de Anacreonte ejusdemque imitatoribus praestanti ore exposuit et frusta praecipua in hispanum sermonem vertit.

*Prof. D. Daniel Rutz*, salmanticensis magister, lectiones nonnullas de grammatica comparata et de rhetorico, uti vocant, sermone singulari humanitate exaravit.

*Prof. Julius Fantini, S. J.*, de graecae linguae lexico confiendo mira rei cognitione judicavit.

\* \* \*

Sed praeterea hac aestate lectiones speciales de lingua et litteris hispanis ab egregiis magistris explanatae sunt:

*Prof. Ludovicus Albarrán, S. J.*, lectiones quinque de grammatica historica.

*Prof. Antolinus Gutiérrez, Pter.*, de arte «periodistica», de narratione, de fabula commenticia (1), de schemate cinematographicō.

*Prof. Jos. M.<sup>a</sup> Aguado, Pter.*, quaestiones de morphologia et lexicographia.

*Prof. L. Alonso Schökel, S. J.*, de stili natura et genere, ac de recentioribus scriptoribus maxime celebratis lepide luculenterque disseruit.

\* \* \*

Nihil de collationibus publicis ad Societatem Hispanam in humanas litteras fovendas (*Agrupación Humanística Española*), quam digne et impigre moderatur *Prof. Josephus Guillén*; nihil de festiva excursione in civitatem Abulensem, ubi tot tantaque monumenta vitae ac virtutum Sanctae Matris Teresiae visere licuit; nihil de aliis privatis errationibus; nihil de ultimo curriculi sollemni consessu ab Exmo. Episcopo Salmanticensi auctorato et *Exmi. Arch. Vallisoletani praesidis* oratione facilī, lenissima et amabili consecrato.

Praeterire tamen nequeo sollempne votum quod magistri et auditores omnes de mysterio B. Virginis Assumptionis XVIII kal. sept. ad aras ipsius Virginis Matris toto mentis ardore professi sumus. Liceat hic illud proferre in perpetuum testimonium.

Salmanticae, mense octobri a. 1949.

JOSEPHUS JIMÉNEZ DELGADO, C. M. F.

(1) Novela.

## Ad Gloriam Beatissimae Trinitatis atque ad Laudem Virginis Mariae

Cum Salamancae, in alma civitate, veterum Athenarum aemula, centum quattuor et quadraginta optimarum litterarum cultores ex Seminarioribus atque Collegiis Religiosorum in primis Hispaniae et Lusitaniae convenissemus ut curriculo aestivo «Societatis Hispanicae ad litteras fovendas» —ab Universitate Salmanticensi convocato— adstaremus, atque sacratissimo illo Beatae Virginis in caelum assumptae adveniente die festo, qui est ejusdem Virginis in Ecclesia antiquissimus, animis nostris pietatis flamma erga Virginem assumptam vividior inhaesit atque excitata est: et votum pro definienda assumptione Deiparae Virginis ab hac alma Academia quotannis nuncupatum, et nos facere sollemniter statuimus.

Sacerdotes enim, apostolorum Reginam maxima ac nova gloria ornatam cupimus ac desideramus, cives Hispani, qui omnium gentium facile principes semper et ubique in amore erga Virginem ab originali peccato exemptam et in caelum gloriose assumptam exstiterunt, de hoc singulari mysterio vehementer gaudemus; litterarum denique optimarum cultores id summo studio conabimur ut nova insigne pulchritudine gemma in corona gratiarum adnectatur, qua Beatissima Trinitas tempora matris Dei et hominum coronavit.

Quam ob rem nunc ac deinceps tota nostra aetate, Deo adjuvante, doctrinam Virginis in caelum assumptae constantem, universalem tantisque saeculis in Ecclesia Catholica comprobatam, propugnare atque defendere toto mentis ardore vovemus atque profitemur.

Nostram igitur conclamationem, quamquam humilem, filiali tamen amore plenam illi sublimi concentui qui ex nostra Hispania et ex toto orbe terrarum exsurgit, adjungimus, precesque nostras ad Pontificem Maximum —qui adeo in devotione Mariana praestitit— maxima reverentia deferimus. atque oramus —ad gloriam augustissimae Trinitatis. ad honorem maximum Dei Matris et hominum, in omnium gentium salutem, in mundi hujus bonum, tot tantisque aerumnis atque calamitatibus conturbati atque cruciati, opisque divinae maxime egentis— instanter oramus atque precamur ut hoc excelsum mysterium de Virgine Mater in caelum Assumpta dogma catholicum Romanus Pontifex quantocius definire ac proclamare dignetur.

Salmanticae, XVIII Kal. Sept. MCMIL.

# CARMEN SAECULARE

*Clara lux nobis oritur, sodales,  
Saeculi nostrum referentis ortum;  
Qua secundati veniente gaudent  
Omnia mundi.*

*Qua Pater summae monitu Parentis  
Arcis exortus minimae paravit,  
Filios fas sit populosque fautos  
Dicere carmen.*

*Hostis incepto fremuit reperto;  
Multus jactavit. Tua, Claret, arcet,  
Virginis dextra tribuente vires,  
Fulmina virtus.*

*Te Deus mundi per aperta Vatem,  
Teque Praeconem Genetricis almae,  
Perditae caelis animae Ministrum  
Te dedit acrem.*

*Plurimis curis operosus usque  
Nescius vinci ruis in labores,  
Solis occasus et eva mensus  
Ultima raptim;*

*Asperae temnens maledicta linguae,  
Igne flammatus bene gesta Jesu  
Ipse moliris, miserum voluntans  
Urere mundum.*

*Imparem posthac operae manenti  
Jam recedentem patriaque pulsum,  
Pulcra multorum sequitur nepotum  
Orta propago:*

*Spiritu Patris studiosa sumpto  
Aequor et terras peragrat remotas;  
Iure devotum meritoque Mater  
Temperat orbem.*

*Quamque surgentem tulit atque fovit  
Terra magnorum generosa patrum,  
Italus vidi Rhodanique potor  
Atque Sicamber.*

*Dives armentis Cererisque donis  
Hanc capit latis America fundis:  
Plurimos caelo nova post datura  
Vinea sanctos.*

*Non niger fulvi facie leonis  
Inferis larvis pavidoque morbo  
Nuntios pacis, animosa corda,  
Terruit Afer.*

*Mortis in densis tenebris subacta  
Tellus Aurora regione posta,  
Impigris coeptis in amoena Matris  
Regna vocatur.*

*Jamque multarum sinus insularum  
Gestit et Claret revirescit orsis:  
Albidum cernas fluitare signum  
Qualibet aura!*

*Sedibus regnans Genetrix supernis  
Filios species oculis benignis,  
Dissitas sacris animis moventes  
Bella per oras.*

*Pruriunt si quae male pertinaces  
Moribus duris superesse gentes,  
Mente jam demum posita vetusta  
Se tibi subdant.*

*Si tuum haec Res est opus, evolutum  
Cordis intacti meliore pulsu,  
Annue ut recto stabiles facessat  
Tramite fines.*

*Da Sacerdotes meritis decoros,  
Da Juventutem sine labe fortis,  
Da pios Fratres onerique suetos  
Muneribusque.*

*Tu Domo vestrae pueros vocatos  
Comparcs certae fidei memento:  
Deditos laudi Domini et ligistro  
Candidiores.*

*Cara Paupertas ubicumque vernet;  
Castitas foedis vigeat remotis;  
Prona sit jussis docilis Voluntas,  
Laeta virescat.*

*Quisque honoratis opibus paratus  
Laudibus Matrem cumulare pergit;  
Aemulus Claret studeat per orbem  
Spargere caelum.*

*Saeculis seris trepidare disctet  
Posteris Vatum monitis superstes.  
Nostra Res semper aliud novata  
Perstet in aevum*

*Raimundus Sarmiento, C. M. F.  
Villae Rosarii, in Argentina.*

## Pro M. Tullio Cicerone peroratio<sup>(1)</sup>

Dicamus hoc loco quod non tantum de philosophicis libris, sed de operibus Tullii universis cum summa ejus laude praedicatur: per omnia ejus opera fundi eam morum integritatem et verecundiam, ut tuto tradantur etiam in manus adulescentium. Tales illius aetatis scriptores per paucos invenias, eoque mihi major Tullius est. Et si ejus pudoris tua interest cognoscere exemplum, perlege quam dedit ad Paetum epistulam, quae est ad familiares libri IX vigesima secunda.

Puto adhuc constare M. Tullium summum esse romanorum oratorem et latini sermonis formatorem et in maximis Tullii meritis esse, non, quod etiam philosophorum coryphaeus fuerit, sed quod eum, quem ex suis studiis philosophicis ceperat fructum, primus omnium latino sermone collectum et suis aequalibus et toti posteritati proposuerit fruendum.

At enim «imperitus fuit administrandae reipublicae; nam Mommセンus ait in republica nihil vidisse Ciceronem, et honorandus Mommセンus vir est». Tales sunt omnes, honorandi omnes viri qui declamitant M. Tullium foro et senatu abstinere debuisse, qui parum illuc afferret prudentiae virilisque parum constantiae.

Utinam scirem, a quo nunc ordiar capite! Quis unquam contendit Ciceronem, ut summus esset orator, sic summum romanorum politicum fuisse? Vide, quantum tibi dem ultro. Dico ipsum Tullium ea quae gesserat in republica majora gravioraque postea in vita duxisse quam fuissent. Idem ego dico Ciceronem, ut deditissimum illi formae rei publicae, quaedam, quae acutius qui cernerent, vidissent, ipsum non vidisse. Sed illud vellem aliquis illorum virorum honorandorum ostenderet, cur Cicero, si non summus, tamen multis aliis praestantior fuerit politicus, cur Catilinae et hominibus [Catilinae similibus, qui non ut ipse amarent patriam, patriam relinqueret vexandam, diripendam, delendam incendio?

Magistratus Romanorum creabantur anni et licebat petere qui vellet; et sicut hodie, cum ad civilia tum ad ecclesiastica munera quadam naturae propensione ducuntur pueri, sic illis temporibus, qui se idoneos fungendis muneribus arbitrarentur ipsi, vel idonei judicarentur a suis propinquis, capessebant rem publicam. Tullius cum mature ad honores publicos se trahi sensisset et se hominem novum esse videret, laboriosissima illa ratione vitae viam honorum muniendam ratus erator factus est. Et licet diligentissime excoluisset ingenium apud optimos dicendi magistros et jam celebris causarum patronus esset, tamen amicorum et parentis adhortationibus impellendus fuit, ut magistratum peteret. Et is, quem honorandi illi viri in rebus politicis nullum fuisse declamitent, per omnes honorum gradus ita ascendit, ut raro exemplo

---

(1) Cf. fasc. sup. p. 71.

suo quemque obtineret anno multoque majore cum salute civium quam multi alii eorundem honorum viri.

Qui anno a. Ch. n. 75 in Sicilia quaestor tam se egregie gessit, ut exasperatos priorum injuriis magistratum animos Siculorum conciliaret romanis eumque decedentem Siculi patronum postularent suum. Initio consulatus sui illustri prudentiae specimine magnam ab Italia et a Campania avertit calamitatem impugnans tribus orationibus legem agrariam. Consul repressis non sine sua vita periculis Catilinae conatibus hoc effecit, ut urbs Roma servaretur a caede atque incendiis. Nemo profecto legens quae illis hebdomadis a Cicerone pro patria sunt gesta ibit infitias hominem se illum prudentem, circumspectum, fortem praestitisse; et quid mirum, quod is, quem populus universus coleret, quem senatus patrem patriae consulatasset, quem Pompejus ita celebraret ut diceret frustra se deportaturum triumphos fuisse nisi Ciceronis merito haberet, ubi triumpharet, quod is in recenti apricans gloria cum aliis primariis viris optimum rei publicae statum revertisse putabat, et sua putabat opera? Tum certe Tullius, qui liberae rei publicae formam a majoribus sapienter sublato superbiae regno institutam solam probaret uniceque homo patriae amantissimus usque ad extrellum spiritum defensurus esset, vel non videbat vel nolebat videre illam formam rei publicae suapte mole impedire administrationem imperii tam longe lateque in omnes partes propagati et necesse esse supremam auctoritatem ejus imperii, ut par esset gubernando, ab annuis consulibus ad perpetuas transire potestates.

Sed quis neget Ciceronem, summum romanorum oratorem, etiam in re publica egregie se tractasse vigilantemque se consularem praestitisse, etiamsi, id quod hodie, post viginti saecula, cati historiae observatores facile statuant, Cicero sibi ipse non persuasit: mutationem summi rei publicae magistratus necessariam fuisse, aut istis, quibus postea mutata est, mutari oportuisse machinationibus.

Si tamen, qui politicam Ciceronis notandam putant hoc dicunt: parum fuisse idoneum qui rerum novarum ductus studio quavis neglecta religione, spreta consuetudine majorum, jure atque injuria, lege aut vi, clandestinis etiam artibus monarchiam appeteret: sic Ciceronem non fuisse politicum, qui natum sortitus molliorem et eam ut ex lege fieri vellet omnia, idem nos omnium primi fatebimur.

Itaque patefacta conjuratione, cum more majorum in Catilinarios animadvertisset, brevi ipse intellexit illam quondam fuisse in ea, cui consul praefuisse, re publica virtutem, ut sine periculo perniciosos cives de medio tollere liceret. Impeditur extremo consulatus die perinde a Q. Caecilio Metello, ne verba ad populum faceret; accusatur impudenter ab eodem Metello, quod mutasset rem publicam, extrusus a Clodio, quod injussu populi necasset cives romanos, a Caesare et a Pompejo parum defensus atque relictus sibi mense aprilii anni 58 in exsilium abiit, unde anno proximo revocatus Nonis Septem-

bribus venit Rōmam. Quid ageret homo unice deditus majorum institutis in illis perpetuis in re publica, quas ad tyrannidem spectare nulli minus quam ipsi occultaretur, turbis; quid Cicero ageret, qui jam dudum nullam jam esse rem publicam cerneret atque diceret, et tamen ut consularis in senatu adesse et sententiam dicere interrogatus deberet, qui a factionum principibus, Caesare et Pompejo, invitaretur, quorum utriusque plurimum interesset sibi conjunctum videri Ciceronem hominem tam carum populo?

Utinam celeres illi censores Ciceronis diligenter deliberarent atque exponerent, in quantis Cicero, quoad viveret Caesar, versatus esset difficultatibus; quem si quis dicat nihil vidisse in re publica, certe non legit epistulas Ciceronis, in quibus etiam levissimo in re publica momenta ita perscribuntur, ut scribi possunt ab eo solo qui politica optime persentiat et dijudicet. Quid, inquam, faceret? Fecit quod in re simili illi ipsi ad unum omnes: Neutri eorum principum confisus ejus tenebat partes qui suis consiliis pro tempore quam minimum videretur recedere a republica. Haec autem ipsa viginti annorum fuga et declinatio, quam hodie passivam resistentiam vocamus, Ciceronem virum fortem fuisse demonstrant; fortitudinem vident fuisse, qui similia, etsi minora, tulerunt, quod illum modo Pompejo modo Caesari propensiorem conspicantur, sed nunquam de republica mutantem sententiam, quam imperiti et leves inconstantiam et animi fluctuationem calumniantur. Quam vero sibi ipse manserit in studio reipublicae similis et constans, facile cognosces ex illis quae anno a. Ch. n. 51 proconsul in Cilicia gessit, quae perscrispit in epistula ad Atticum VI, 2; «Laetari te nostra moderatione et continentia video: tum id magis faceres, si adesses. Atque hoc foro... mirabilia quaedam effecimus» et quae illic paragraphis 4 et 5 scribuntur, ex quibus apparent anno suo 56 talem fuisse in Cilicia proconsulem, qualis fuisse in Sicilia quaestor anno suo 52. Quam sibi similis manserit in amore patriae et studio rei publicae liberae, demonstrant ea quae post occisum Caesarem, quem ut tyrannum oderat, in senatu et pro pace et contra Antonium dixit et egit, et quae illis mensibus ad amicos scripsit. Cum dignitate pro patria praebuit jugulum interfectoribus.

Itaque si qui judicio usi et intellegentia dicant Ciceronem politicum non fuisse, hoc dicunt: non fuisse nec voluisse se eum, qui fatiscentem reipublicae molem ad novam formam traduceret; sed non illud velim taceant Ciceronem, si majorum respublica tum extitisset, optimum futurum fuisse magistratum; nam quae illi in republica licuisset perficere, exempla fortitudinis esse et constantiae. Ego certe sic censeo cum Cicerone consule antiquam illam Romanorum rempublicam occidisse neque factum casu esse, ut, quo anno Cicero consul esset, nasceretur primus imperii Romani imperator perpetuus, C. Julius Caesar Octavianus Augustus.

ANDREAS AVENARIUS, S. V. D.

Romae, a. 1949.

(sequar)

## Commercium epistulare

*Josephus M.<sup>a</sup> Mir, C. M. F., P. Andreae Avenario, S. V. D., Sal. Pl.*

Ineunte hoc mense julio, Rector nostri Collegii Barcinonem adierat, unde mihi attulit praeclarum sermonis tui donum...

Scripseras: Exspecta parumper remque totam de vocabulis adhibendis luculenter aperiam. Promissa tua fidissime servasti et amicum ab illa, qua angebatur, aegritudine liberasti.

De unaquaque re proposita deque vocabulis in examen advocatis perlucida atque sapienti argumentatione responsum dedisti. Maxime gaudeo me te coëgissem ut, quid de illis sentires, plane exprimeres. Quaedam te retinuisse video pro sermone quasi vulgari vel ut pressius in colloquiis intellegamur; quod, te optime fecisse, probbo, illamque horridam latinitatem repudiasset quea in quibusdam Commentariis apparent; ne illis ansam daremus enixe conabar.

Pauca suis locis, cum tua edetur epistula, forte significabo. Prius tamen « De Marco Tullio perorationem » finiemus.

Illius chirurgi peritiam valde laudo et amo qui, ut melius haberet ex illo inveterato varicu[m] dolore, fecit.

Te nobis amicitia conjunctissimum agnovi, quam in dies arctiores mutuo servemus. Hisce diebus centenaria nostra decurrebant festa, quae intimo animi fervore apud nos sunt concelebrata.

Valetudini inservi diligenter. Vale.

Celsonae, IX Kal. Augustas.

*Andreas Avenula, S. V. D., Joseph Mirio suo S. D.*

Paucos tandem ante dies deprehendi in periodico dioecesis Ratisbonensis, cuius glorior filius esse, quod pericdicum a quodam meo amico hoc ipso anno ad me dari coeptum est, generalem celebratum esse Claretianorum coetum in eoque novum Superiorum Generalem electum esse popularem meum et condioecesanum, Traschinganam prolem et Superioris Palatinatus. Postea dixerunt eam rem in Observatore Romano jam mense Majo nuntiatam fuisse, quod ita esse postea ipse repperi in Observatore una cum brevi vita Revni. P. Petri Schweiger et narratione gestorum a vestra familia in Germania atque in Bavaria. Indignum sane est me sero comperisse haec omnia; nam populari gratulatus essem dignitatem et in ferendo imposito onere auguratus caelestem fortitudinem. Et intelleges opportunissime accidisse, ut eodem ex periodico legerem etiam de sollemni commemoratione impleti nunc anni centesimi, ex quo Beatus Claretus fundamenta jecit vestrae Congregationis. Sic mihi datum est, ut ipso jubilaei die multum cogitatione et mente apud vos conversans, veteres amicos, omnia in posterum etiam fausta et felicia vobis precari non desinam. Neque immemor dego hunc diem illorum virorum et juvenum et puerorum tam multorum, qui haec centenaria sollemnita vobiscum laeti cele-

braturi erant, nisi a Deo electi fuissent, qui primum Congregationis Filiorum Cordis Mariae centenarium suo purpurent martyrio. Quomodo hodie non recorder de Emmanuele Jovaeo et trucidatis cum eo sociis? quomodo non commorem illum novellum sacerdotem Wemberum, Germanum, quem primum conveni decem ante annos Albani et saepius postea una cum condiscipulis? Illi cum ostenderem, in quanto periculo res patriae esset sedens in quodam hortorum nostrorum scamno, nolebat credere nesciens vicinam sibi pro perdita patria paratam mortem... Haec autem quae legisti certe facient, ut intellegas admirari me, quod ille fasciculus (116) mensium Maji et Junii, qui nuperime recte redditus est, nihil habeat de electione novi Moderatoris Generalis nihil habeat de celebratione centenarii. Miratus antea sum, quod non significatum est de adventu longissimarum litterarum, quibus a me est responsum de vocabulis a me usitatis in compluribus PALAESTRAE fasciculis, quas ego litteras ante nonnullas hebdomadas ad sedem Congregationis Juliae Viae ipse pertuli per P. Alexandrum procurandas. In iisdem litteris certiores faciebam te neque centesimum decimum tertium fasciculum me accepisse neque quintum decimum, et suspicari me in iisdem fasciculis inveniri, quae ad me spectarent. Feceris gratissimum si eorum fasciculorum copiam feceris, quod facile praestabis, ut opinor, per hospites celebritatum, qui ex hac antiqua urbe in illas regiones properaverint. Velim cures ut lever illo timore, quo tangi et sollicitari coepi ne quid mali tibi obtigerit, qui meo judicio nimium sustineas onus. Non potest scholas dare et munera et munuscula praestare is, qui commentarios Latinos administrat praesertim si illa administratio non sit tantummodo selectio ex acervo articulorum undique advolantium, sed rasarum paginarum typothetico opere perornatio. ALMA ROMA cum Fornario extincta est. Et quam fuit ille mihi et aliis gratus post acceptas nostras nugas, si quo modo ferre possent publicum. Haec ex Palatio S. Congregationis propagationis fidei, ut ex digitis fluebant, postridie Idus Julias. Vale.

*Josephus M.<sup>a</sup> Mir, C. M. F., Andreae Avenario, socio carissimo, sal.*

Superiorem epistulam a me tibi datam Celsonae leges. Nostra oblivisci profecto nequis: hac tua epistula perlucide comprobatur. Centenariam nostram commemorationem te antea perceperisse arbitrabar. Gaudio tamen peropportune nostris illo sollemni die congratulari te potuisse.


Tua vides salva ad nos advenisse. Ad te fasciculos PALAESTRAE rursus misi; qui utinam recte perveniant.

Timor ille tuus saepius sane defatigatione mea comprobatur, quam quotannis extremo curriculo experiri soleo; mensem extra palaestram et laborem deperdidi... Nunc tamen melius habeo, Superis gratiam. Celsonam hebdomadam unam sum commoratus, Salmanticam vero intra paucos dies pergam, quo conveniemus socii ut lectiones et audiamus et proferamus. Alia opera, quae ad finem vergunt, tibi cognita citius fore spero. Plurimum vale.

Barbastro, IV Kal. augustas.

# NOVA ET VETERA

## Vehicula hodierna. — II



Johannes Gundisalvius vacationum aestivarum nactus opportunitatem, alias Hispaniae urbes percurrit. Cum autem ad illum consalutandi causa venisset, plura mihi narravit, ac summa animi comitate et benevolentia ostendere voluit quibus ipse vocabulis res novas significasset, quibusque saepe cum clericis aliisque eruditioribus viris in itinere esset confabulatus.

En tibi, quo modo iter paraverim atque confecerim, mihi dixit. Cum iter suscipere constituo, primum, indicem horariorum traminum<sup>1</sup> perscrutor et commodiorem horam atque velocius tramen<sup>2</sup> seligo. Deinde omnia, quae opus erunt ad viam jucundiorem ac leniorem ducendam, diligenter paro. Cistellam manualem<sup>3</sup> requiro, in eaque codicillum plagulis discindendis<sup>4</sup> recondo ad res in itinere actas fideliter inscribendas eamque jucundioribus libris compleo. Bulgam<sup>5</sup>, viatica<sup>6</sup>, cetera, quae ad ornatum et corporis comptum spectant, compono; thecam rasoriam<sup>7</sup>, in qua continetur machina rasoria<sup>8</sup>, laminae [rasoriae]<sup>9</sup>, sapo<sup>10</sup>, penicillus<sup>11</sup>, cet. Quibus apte instructis, in stationem ferriviariam<sup>12</sup> pergo, in magnum oecum tessellis comparandis<sup>13</sup> ingredior, seriem<sup>14</sup> hominum inquiero qui idem, quod ego, iter aggrediuntur; parumper exspecto, ad tesserarum forulum<sup>15</sup> accedo, tesseram primae vel secundae classis<sup>16</sup> cum sede reservata<sup>17</sup> requiro ejusque pretium, cum in manibus syllabum<sup>18</sup> non habeam; vel si nocte iter ago, loculamentum dormitorium<sup>19</sup> postulo ut noctu placide quiescam.

Alios video in manibus et in tergo onera, capsas <sup>20</sup>, vidulos <sup>21</sup>, quasillos <sup>22</sup>, bulgas, omnis generis mercium et regularum onusta comportantes. Ipse tamen iter faciens illud Sapientis arripius dictum: «*Omnia mea mecum porto*»; qua re opus non est ad sarcinarum forulum <sup>23</sup> accedere neque syngrapham expeditoriām <sup>24</sup> sumere neque sarcinam <sup>25</sup> in repositorio <sup>26</sup> tradere custodiendam.

Deinde in crepidinem <sup>27</sup> exeo, ibi viam ferream <sup>28</sup> inspicio suisque vocibus singula nomino. Transtra <sup>29</sup> binas orbitas <sup>30</sup> i. e. curriculum <sup>31</sup> supportant. Curricula plura esse solent, ut euntibus ac redeuntibus traminibus expeditus aptusque detur locus.

Tramen, carbone calefactum actumque vapore, vaporitrahā <sup>32</sup> vehitur; in ea vides caldarium <sup>33</sup>, fumarium <sup>34</sup>, diribitorium <sup>35</sup>, sibilum <sup>36</sup>, faculam <sup>37</sup>, tudites <sup>38</sup>, unicum <sup>39</sup>, cet. Vaporitrahæ praesunt fornacator <sup>40</sup>, qui carbonem e carbonario [curru] <sup>41</sup> subducit ignemque excitat, et machinator <sup>42</sup>, qui vaporitrahā moderatur ac signis rectoris stationis <sup>43</sup> obtemperat.

Tramina varii sunt generis ac nominis: communia <sup>44</sup>, tabellaria <sup>45</sup>, mixta <sup>46</sup>, expedita <sup>47</sup>, rapida seu citata <sup>48</sup>, ex quibus plura hodie non vapore sed eletride complicantur; quae commodiora sunt ac velociora ac maxima munditie ornantur.

Vaporitraha post se currus <sup>49</sup> trahit, qui quidem onerarii <sup>50</sup> et pecuarii <sup>51</sup> appellantur, onera, pecora aliaque comportantes. Tu vero iter instituens sic in currum penetrabis: primum, gradum <sup>52</sup> concendis, portulam <sup>53</sup> aperis, in transitu <sup>54</sup> consistis, loculamenta <sup>55</sup> inspicis ut locum commodum tibi seligas, sarcinam in reticulo <sup>56</sup> deponis, in sede seu sedili <sup>57</sup> assides. Aestivo tempore ad fenestellam <sup>58</sup> aut in strato currus <sup>59</sup> stare ut rerum conspectum demireris, jucundum sane tibi erit. Currus nocturno tempore aut in cuniculis <sup>60</sup> percurrendis, eletride aut alia luce collustrantur. Si quod forte detrimentum <sup>61</sup> in itinere evenerit, pulsabulum <sup>62</sup> instantis periculi <sup>63</sup> pulsabis vel comprimes.

Aliquot abhinc dies Montis Serrati nobile Coenobium cum peregrinantium coetu invisi tramine ductus denticulato <sup>64</sup>, quod quibusdam quasi dentibus ferreis sustinetur ne recedat dum montes reptare videtur. Cum vero funale tramen <sup>65</sup>, quod ope funis seu rudentis <sup>66</sup> trahitur, concendi, magna permotus sum admiratione; mulieres vero pavientes suspenso animo omnia perlustrabant dum ille funis, a quo omnium nostrum pendebat animus et vita, leniter defluebat.

Ac suavissimam cum primis percepi animi voluptatem cum supra montana cacumina velocissime cistellā illā seu diaetā funi suspensā transvectus <sup>67</sup> supervolavi: per fenestellam inspiciens minutissima mihi visa sunt omnia.

Neque desunt aliae funales trajectiones aëriae <sup>68</sup> quibus rotabili rudenti circumductus <sup>69</sup> quasi enavigare tibi videaris insidens sedili quodam. Qua transvectione <sup>70</sup>, hiberno tempore praesertim, labilibus soleis supra nivem decurrentes <sup>71</sup> oblectantur: quare sedem illam sellam nivitrahā <sup>72</sup> appellabo huicque similem tefericam <sup>73</sup> nuncupabo.

Habes, benevole lector, quae mihi nuper enarravit de suis peregrinationibus volutariis <sup>74</sup> — variis trahaculis adiectus — Johannes noster Gundisalvius.

## VOCABULARIUM

1 index horarius traminum, <i>guía de trenes</i>	76 sibilus, i, m.,	<i>silbato</i>
2 tramen, inis, n., <i>tren</i>	37 facula, ae, f.,	<i>farol</i>
3 cistella manualis, <i>cartera, bolsa</i>	38 tudes, itis, m.,	<i>tope</i>
4 codicillus plagulis discindens, <i>esfoliador, bloc</i>	39 uncus, i, m.,	<i>enganche</i>
5 bulga, ae, f., <i>maleta</i>	40 fornacator, oris, m.,	<i>fogonero</i>
6 viatica, orum, n. pl., <i>preparativos para el viaje</i>	41 currus carbonarius, carbonarium, ii, n.,	<i>ténder</i>
7 theca rasoria, <i>estuche de afeitar</i>	42 machinator, oris, m.,	<i>maquinista</i>
8 machina rasoria, radula, ae, f., <i>máquina de afeitar</i>	43 rector stationis	<i>jefe de estación</i>
9 ratorium, ii, n., lamina ratoria, [cisorium], <i>hoja de afeitar</i>	44 tramen commune,	<i>tren ómnibus</i>
10 sapo, nis, m., <i>jabón</i>	45 tramen tabellarium,	<i>tren correo</i>
11 penicillus, i, m., <i>brocha</i>	46 tramen mixtum,	<i>tren mixto</i>
12 statio ferrivaria, <i>estación</i>	47 tramen expeditum, [expressum],	<i>tren expreso</i>
13 oecus tesseris comparandis, despacho de billetes, <i>cola</i>	48 tramen rapidum, citatum, <i>rápido</i>	
14 series, ei, f., <i>taquilla</i>	49 currus, us, m., <i>coche, vagón</i>	
15 tesserarum forulus, tesserraria, <i>billete de 1.ª, de 2.ª clase</i>	50 currus onerarius, sarcinarius, <i>vagón de carga</i>	
16 tessera, primae, sec. classis, billete de 1.ª, de 2.ª clase	51 currus pecuarius, <i>vagón ganadero</i>	
17 sedes reservata, <i>asiento reservado</i>	52 gradus, us, m., stapeda, ae, f., <i>estribo</i>	
18 syllabus, i, m., <i>tarifa</i>	53 portula, ae, f., <i>puerta</i>	
19 loculamentum dormitorium, <i>coche-cama</i>	54 transitus, us, m., fauces, ium, f. pl., ambulacrum, i, n., <i>pasillo</i>	
20 capsula, ae, f., <i>caja</i>	55 loculamentum, i, n., <i>departamento</i>	
21 vidulus, i, m., <i>maletín</i>	56 reticulum, i, n., <i>red</i>	
22 quasillus, i, m., <i>cesto</i>	57 sedes, is, f., sedile, is, n., <i>asiento</i>	
23 forulus sarcinarum, <i>taquilla de equipajes</i>	58 fenestella, ae, f., <i>ventanilla</i>	
24 syngrapha expeditoria, <i>talón</i>	59 stratum currūs, <i>plataforma</i>	
25 sarcina, ae, f., <i>equipaje</i>	60 cuniculus, i, m., <i>túnel</i>	
26 repositorium, ii, n., <i>consigna</i>	61 detrimentum, i, n., <i>averia</i>	
27 crepidio, inis, f., prostatulum, i, n., <i>andén</i>	62-3 pulsabulum instantis periculi, <i>timbre de alarma</i>	
28 via ferrea, <i>ferrocarril</i>	64 tramen denticulatum, <i>tren cremallera</i>	
29 transtrum, i, n., <i>traviesa</i>	65 tramen funale, <i>funicular</i>	
30 orbita, ae, f., <i>riel, carril</i>	66 rudens, entis, <i>cable</i>	
31 curriculum, i, n., <i>ferrocarril (los dos rieles)</i>	67 transvchi cistella [s. diaeta] funi suspensa, <i>viajar en aéreo</i>	
32 machina tractoria, vaporitraha, ae, f., <i>locomotora</i>	68 trajectio funalis aërea, <i>funicular aéreo</i>	
33 caldarium, ii, n., <i>caldera</i>	69 circumduci rudenti rotabili aéreo, <i>viajar en aéreo</i>	
34 sumarium, ii, n., <i>chimenea</i>	70 transveftio, onis, f., <i>viaje</i>	
35 diribitorium, ii, n., <i>caja de distribución</i>	71 decurrentes labilibus soleis, esquiadores, <i>silla-ski</i>	
	72 sella-nivitraha, <i>teleski</i>	
	73 teleferica [sella]	
	74 peregrinatio voluntaria, <i>viaje de sport, de recreo</i>	

## ALIAE VOCES ET LOCUTIONES

perforator, oris, m.,  
 declinator, oris, m.,  
 expeditor, oris, m.,  
 terebra, ae, f.,  
 syngrapha sumptuaria,  
 ferriviae opifex, [faber] ferriviarius,  
 sumere tramen,  
 vehi, discedere tramme,  
 tramen tardat,  
 tramen quindecim minuta demoratur,  
 viam ferream sternere,  
 tramen sistit,  
 tramen e suis duobus, e curriculo, e lineis di-  
     greditur,  
 currum inscendere,  
 tramen per orbitas procedit,

Barbastri

revisor  
 guardagujas  
 factor  
 taladrador, sacabocados  
 factura  
 ferroviario  
 tomar el tren  
 tomar el tren  
 el tren traer retraso  
 el tren tiene un cuarto de espera  
 construir un ferrocarril  
 el tren se para en  
  
 el tren descarrila  
 montar al tren  
 el tren anda bien encarrilado

Josephus M.<sup>a</sup> MIR, C. M. F.

## BIBLIOGRAPHIA

E BAGUÉ. — «*Froissart*», Editorial Labor, S. A., Barcelona, 1949.

Nihil amoenius Dnus Bagué. Historiae Professor, nobis degustandum prae-  
buit, quam lepidissimum hoc volumen ex Johannis Froissart «Annalibus» confectum. Quo legendo vix me involvi, statim ejus venustate et lepore, ejus ubertate atque ingenuitate sum affectus.

Constat libellus diserta commenta-  
tione qua lectores ad auctorem adduc-  
untur, eaque affert excerpta quae, pul-  
cherrima cum sint, magis auctorem ex-  
primunt ac repraesentant.

Interpretatio nemini non probabitur  
qui penitus cognoscat quam sit difficilis  
ex gallis ad hispanos conversio perfecta  
atque absoluta.

E. VALENTÍ FIOL. — «*Lucrecio*», Edit.  
Labor, S. A., Barcelona, 1949.

Juxta consilium quod in libris eden-  
dis Domus Editrix Labor servandum  
sibi constituit. Dnus. Valentí eruditum  
commentarium suo libello paeponit,  
ubi de Lucretio poëta ejusque opere «De

Rerum Natura» doce disserens, nonnulla imprimis in trutinam vocat quae, minus probanda, de atheismo lucretiano vulgo audiuntur; deinde de Epicureismo, cui sectae Lucretius nomen dedit, copiose pertractat, tum denique poëticam laudem Lucretio vindicat, cuius poëmata, ut Cicero scribit, ita sunt, multis lumi-  
nibus ingenii, multae tamen artis.

Quoad excerpta attinet, ea prudenti sinceroque judicio selecta sunt, hisque commentaris instruuntur, quibus facil-  
lime degustari possint.

L. DEBEAUVAINS. — «*Cours de Langue Latin*» (Vocabulaire Latin, 8 ed., Exercices, Classe de Troisième, 6 ed., Exercices, Classe de Quatrième, 8 ed.) Librairie Classique Eugène Belin, Paris, 1946 1948.

Quantum alumnis conferat optimum  
Vocabularium memoria tenere, adeo  
est in promptu, ut disputatione id non  
egeat. Qua tamen ratione hoc Vocabu-  
larium quam faciliter alumnus ediscet?

En vobis methodum quam operis auctor afferit.

«Vocabularii» libellus in duas dispescitur partes: quod presse dici posset *Vocabularium*, ubi in capita voces cumulantur, et *Dictionarium*, quod exterrimum libellum tenet, ubi hujusmodi voces alphabeticam rationem sequuntur.

*Vocabularium* ex Cicerone et Caesarre videmus potissimum esse confectum; cumque latini poëtae propriis vocabulis non semel utantur, haec etiam in finem *Vocabularii* adhibentur.

Non est praetereunda — id quod tanquam libelli proprium vindicari posset — ratio illa qua voces in rerum species (=ideas) distribuuntur, et synonyma conjunctim scripta proferuntur.

*Dictionarium* nihil est aliud quam tabula numerorum relationem (=citas) complectens.

Postremo summis laudibus sunt celebrandae spirantes, — ut Vergelianum illud memorem —, picturae, os habitumque romanum gerentes, quae libellum hoc illuc amoenissime exornant.

Ut ad exercitatorios libellos veniamus, eorum qui tertii cursus alumni dicatur, hos totum *Vocabularium* edidisse, poëtarumque voces plane intellexisse praesumit, huncque in modum dixerit:

Brevi elementorum grammaticallum praemissa repetitione, septem operis divisiones subsequuntur, ubi totius grammaticae notiones ad scribendi palaestram compelluntur. Illae vero exercitationes quae, notulis illustratae, quandoque proponuntur, pleniori efficient grammatices traditionem, ut opinio mea fert, eodemque Stilisticam, quae sub fine libelli collocatur, esse conspiratram arbitramur.

Qui vero exercitatorius liber quarti cursus discipulis dedicatur, ille totus, ut repetitionem illam praeteream, syntacticis penitus enodandis propositionibus impeditur.

Quod reliquum est, quibus laudibus

picturas illustratorias prosequebamur, hisdem, ne dicam majoribus, sunt hic celebranda.

E. FRUTOS CORTÉS. — «*Calderón de la Barca*», Edit Labor, S. A., Barcelona, 1949.

Ex his omnibus libellis, quibus recensendis operam impendo pace priorum dixerim, hic nobis magis arrisit. Nec id solum quod in eo de maximo illo poëta oratio habeatur, qui ab hispanis maxime est honorandus, sed quia tam fuse tamque accurate de Calderonis vita, operibus, stilo cogitandique ratione, deque ejus dramaticis lyricisque poëmatibus auctor commentatur, ut nihil ad perfectam Calderonis effingendam notitiam desideretur.

Ut ad anthologiam veniamus, ex septem generibus in quae auctor dividit Dramaticam calderonianam, totidem adhibentur Comoediarum excerpta argumento et commentariis opportunis illustrata; nec perelegans lyrae poëseos deest exemplum.

Volumen locupletatur appendice, quae de arte seu ratione calderoniana conscribendorum dramatum ejusque poëtico sermone non illitterate agit, et copioso librorum elenco, qui de Calderone sunt typis expressi.

J. M. RIVAS SACCONI. — «*El Latín en Colombia*», Bosquejo histórico del Humanismo Colombiano, Publicaciones del Instituto «Caro y Cuervo», Ed. Voluntad, Bogotá, 1949.

Dnus. Rivas, cuius eruditioem in litteris pervestigandis lectores nostros scimus habere perspectam, novo volume litteras novogranatenses locupletavit.

Hoc in opere de latini sermonis apud Columbianos traditione; de grammaticis latinis conscriptis; de scientificis ac litterariis operibus versu vel prosa compositis; de interpretationibus e classicis latinis auctoribus; de commentationibus criticisque commentariis super latina-

rum litterarum quaestionibus; de effi-  
cientia sive culturae graecae et latinae  
in litteras columbianas influxu, et gene-  
ratim, de classicorum, ut ita dicam, ves-  
tigis in Columbia expressis amplissi-  
me, accuratissime refertur.

Optimo sane consilio auctor studio-  
rum humaniorum apud Columbianos  
historiam in tres dividit aetates: *coloni-  
cam, medium et liberam*. Prima in aetate,  
quae uberrima est dicenda, omnibus an-  
tecellunt litteratissimi homines *Ferdi-  
nandus Fernández de Valenzuela* et *Fr.  
Andreas a Sto. Nicolao*; in altera prae-  
stantissimum se praebet *Marianus del  
Campo Larraondo*; in novissimā fama  
*Michaëlis A. Carl*, ut Horatii verba mu-  
tuer, ... «*micat inter omnes velut inter  
signes luna minores*». Omnibus his auc-  
toribus singula capita dicantur.

Ceterum, quod auctor asserit se tan-  
tum historiae litterarum novogranaten-  
sium *caput conscripsisse*, modeste facit,  
ne, si monumentum *ingens*, — ut ita res  
se habet —, se exegisse diceret, arrogan-  
ter hoc dictum existimaretur.

J. M. GARCÍA LÓPEZ. — «*Baltasar Gracián*», Edit. Labor. S. A., Barcelona,  
1947.

Non est profecto Domus Editrix La-  
bor oblitera Patris Gracián, his praecepue  
temporibus quibus, saeculari oblitione  
deleta, profundissimus aethicus bilbi-  
tanus iterum animos existimatorum lec-  
torumque sollicitat.

Non est, inquam, oblitera, quinimo  
Dno. García, homini litterato, commen-  
davit officium consribendi libellum qui,  
omni adhibita animi moderatione, ho-  
minis tam ex adverso judicati germanam  
notitiam exhiberet, eaque ex ejus operi-  
bus fragmenta decerperet, quibus lecto-  
res in aptissimam scriptoris cognitio-  
nem venirent.

Quam bene Dns. García satis offi-  
cio fecerit, qui opus legerint, existima-  
bunt.

TEXTOS E. P. — «*Lengua Latina*», Cursos  
1º, 2º, 3º, 4º, 5º, 6º y 7º en cuatro  
volúmenes. Segunda edición. Editorial  
Bibliográfica Española, Madrid, 1948.

Grammatica, quam lectoribus exhibe-  
bemus, ea est quae, quanvis tot volumi-  
nibus explicata veniat, non multum  
operae ad eam sive explanandam sive  
ediscendam impendas. In qua confiden-  
da ita alumnorum rationem auctores  
habuerunt, ut Divi Josephi Calasancii  
sectatores possis agnoscerre: ubique faci-  
litas et claritas patent. Nec aliter illud  
fieri posset, si Scholarum Piarum in  
pueris edocendis traditioni consentire  
velint.

Neque id in eam sententiam dispuo,  
ut quicquam praceptorum gravitati de-  
traham, nam et auctores existimo, si  
genus scientificum tractare voluissem,  
gravissime et copiosissime potuisse di-  
cere; et nos, si alumnorum utilitati con-  
sulere voluissemus, idem nobis censeo  
esse facendum. Praecepta eorumque  
expositio placent.

EDITIONES HELVETICAE — «*Series Latina*».  
T. 7: CICERO: *Operum Philosophicorum  
Excerpta*: edidit Hermann Frey.  
T. 16: T. LUCRETIUS CARUS: *De Rerum  
Natura*: edidit Olof Gigon. In aedi-  
bus Orell Füssli Turici (Zürich).

Iterum cl. vir Orellius Füssli editor  
nos donat opusculis quae summis sint  
laudibus honestanda. Eadem enim se-  
lectiore charta prodeunt, eademque ty-  
porum claritate ac nitore.

Tomum 7 omnino Cicero sibi vindicat,  
neque ille, inquam, Cicero qui vio-  
lentus in Catilinam invehebatur, sed  
qui in litteris aetatem agebat in villis.

Magnopere hic adolescentulos horta-  
rer, ut ipse Cicero Marcum filium horta-  
ri solebat, ut non solum Ciceronis ora-  
tiones, sed hos etiam de philosophia  
libros studiose legerent. Nam quanquam  
vis dicendi in illis major est, tamen hoc  
quoque colendum est aequabile et tem-  
peratum orationis genus.

Sed ut ad sermonem, ex quo egressi sumus, revertamur. t. 16 Lucretio totus dicatur, cuius editionem, ut priorem Ciceronis, absolutam dixeris, si nonnullis annotationibus adspergeretur, nec solum in edendis poëmatis haereret.

SAMUEL GILI Y GYA — «*Curso Superior de Sintaxis Española*», 2.<sup>a</sup> ed., Publicaciones y Ediciones Spes S. A., Barcelona, 1948

Qui sit hodiernus linguae nostrae status, ut ad docendum digeri possit, Dnus. Gili et Gaya, clmns. philologus, quam accuratissime potuit, in suo libello describit. Et quanvis auctor ea modestia, qua sapientem possis agnoscere, se conscripsisse commentationem Syntaxis historicae et psychologicae non audeat profiteri; tamen, cum rerum syntacticarum descriptio, nisi ipsis fundamenta historica ac psychologica supeditarentur, non infreque sensu careret, cumque hujusmodi explicaciones interdum ab auctore adhibeantur, efficitur ut vere dicere possimus Dnum. Gili perfectum Syntaxis historicae ac psychologicae tractatum exaravisse.

Quod auctor dicit se perpaucos his de rebus scriptos libellos inventisse, quae de causa omnibus numeris absolutum opus se facere non potuisse arbitratur, id ad auctoris laudem referendum esse censemus.

ISIDORUS MAULEÓN

R. BLOCH. — «*Les origines de Rome*», col. «Que sais-je?». 128 pag. Paris, Presses universit. 1946.

Si hunc leges Raimundi Bloch libellum —doctrina tamen ponderosum— diligentissimi antiquitatis investigatoris, cuius mira dolabra e tenebris terraque tot urbes, res veterae, institutiones eruuntur, quid in praesentia cogitari liceat de *Romae conditione*, videbis.

Vetus, certe Niebuhr opinio evanuit; inventa quoque est dein a M. Dumezil comparativa agendi ratio; nunc vero R. Bloch novissimis ethnographiae, linguis-

ticae, archaeologiae, historiae notitiis gravius prudentiusque fretus —quidquid e contra fabulae et inventionis irrepit— asserere tentat primum in palatino colle, dein in ceteris collibus romanis viculos exstructos, qui societatem amicitiamque paulatim conjunxerunt, quosque jam foederatos viculos in unam magnamque urbem evenisse etruscorum occupantium ope, qui propter loci naturam sibi opportunissimam Romam agnoverunt.

Non ergo *Romae conditio* —juxta Bloch— tribuenda est medio s. VIII, quod et fabulae vindicant, sed medio s. VII, quo toscanorum cooritur regnum.

MARIANUS MOLINA, C. M. F.

C. E. MESA, C. M. F. — *De mi lámpara tenue*. Pórtico de José M. Pérez. Editorial Coclusa, Madrid, 1949.

Ubique terrarum faces incenduntur ac lumina excitantur, quibus centenaria commemorationi Congregationis Claretianae summo splendore praefulgeat. En tibi, lector, excultus suavisque poëta, qui «lampadis tenuis» suae lumina secreto saepius accenderat, nunc vero in centenaria commemoratione Congregationis Claretianae, lucem, quam sub modo reconderat, supra candelabrum collocat ut suo nitore semitas nostras illuminet animumque ejus suavitate oblectet. Ntent profecto in parvulo libro ars poëtica et dicendi genus tenue ac delicatum, idemque nobilibus sententiosis ac sensibus consergitur et perornatur. Mentem jucundo orationis afflatu vel amicorum rerumque recordatione tibit flamari senties cum illa leges: «Serenatas —cum versione latina a P. R. Sarmiento concinnata—, Granum frumenti, Arte de Grecia, Madre España, Flor de trópico, Miguel A. Caro, Un estrellero de Santa Fe, Como esa fuente, cet.

Ne desinat, noster poëta —cujus opera saepius PALAESTRA adjuta ac nobilitata est—, oleum in lampadem effundere ut perennem alat atque foveat lucem novaque ac dulcia carmina proferat.

JOSEPHUS M. MIR, C. M. F.

# Compositiones vertendae

## TERENCIO (IV)

Ninguno de los escritores antiguos ha recibido (48) tantas y tan grandes alabanzas ya (49) de los contemporáneos (50), ya de la posteridad (51) como (52) Terencio. Y para comenzar (53) por un hombre cuyo testimonio, como de émulo tiene que ser de grandísimo peso (54), dice Afranio que nunca podrá decirse de nadie que ni es parecido (55) a Terencio. Cicerón se ayuda de él (56) frecuentemente y cita con gusto sus versos (57) y alaba las bellezas del estilo (58). Sus versos, dice, eran atribuídos a Escipión y Lelio, precisamente por su exquisita elegancia; como si (59) aquella dignidad y elegancia (60) fuesen propias tan sólo de aquellos (61) que en aquel tiempo era voz (62) que hablaban latín mejor que los demás (63).

NOTAS: (48) *Consequor.* (49) *Et... et,* (50) *Aequalis* (51) *Posteriorum.* (52) *Quatus.*\*(53) *Atque ut ordiar, exordiar.* (54) *Maximi ponderis esse.* (55) *Non alicui similem dicere quempiam.* (56) *Multa ab aliquo sumere.* (57) *Proferre, afferre, laudare versiculos.* \*(58) *Loquendi elegantia; elegantia sermonis.* (59) *Proinde quasi.* (60) *Dignitas ac festivitas.* \*(61) *Proprius ac pecularis alicujus.* (62) *Iisdem temporibus putabantur.* (63) *Latine loqui litterarius quam ceteri.*

\*53 *Atque, ut a familiari nostro exordiar.* Cic. De fin. 5, 17, 46. — \*58 Bellezas de estilo no son lo mismo que bellezas de lenguaje. Belleza de estilo (delicadeza, buen gusto) dícese en latín *loquendi elegantia, elegantia sermonis;* belleza de lenguaje (frases y voces escogidas) dícese *ornamenta orationis.* — \*61. La frase adverbial «tan sólo» es innecesaria en latín.

## PRO ALUMNIS MEDIIS

### EL AVARO EN LOS INFIERNOS

Murió un hombre avaro que había amontonado (1) grandes riquezas. Cuando llegó a la orilla de la laguna Estigia (2) Caronte, el barquero de las sombras (3), exigióle el tributo (4). Pero aquél, por no pagar el tributo, no quiso subir a la barca (5), y se arrojó al agua (6). Al punto (7) que nadando tocó la orilla opuesta, fué apresado (8) y conducido ante los jueces de las sombras. «Si lo que ha hecho éste, dijo Minos, llega a ser costumbre (9), se acabarán los tributos (10) de este reino. Por lo cual, puesto que éste fué el primero en dar un ejemplo peligroso (11) nada impide que le inflijamos un gravísimo castigo (12). —No hay duda (13), repuso Radamanto, que ha de ser castigado con durísimo suplicio. Volvámosle al país de los vivos (14) para que él mismo vea cómo sus herederos deban repartir las riquezas.

(1) *Congerere.* (2) *Ad Stygis ripam* (3) *Umbrarum portitor.* (4) *Obolum.* (5) *In naviculam concendere.* (6) *In flumen.* (7) *Simul ac.* (8) *Comprehendi.* (9) *In consuetudinem venire.* (10) *Vectigalia.* (11) *Pri-* (12) *mus. periculosum prodidit exemplum.* (13) *Gravissima poena afficere* (14) *Ad viros* (15) *Divitias profundere.*

# CURIOSA ET JOCOSA

## 258. — HUMANUS LATRO

— Trade mihi loculos, si vis discedere vivus!  
— O hominem, jam ter mense fluente mihi  
    ausus es armato nummos subducere dextra!  
— Pone metum, fiet demptio justa tibi.

## 259. — NARRATIUNCULA

«Judicis imperio parens apparitor Aulus  
    impavido quendam plectere corde ruit.  
At plectendus, homo vere stomachosus, in illum  
    acriter incurrens, verbera mille dedit.  
Decisis pennis, et multo verbere sectus,  
    judicis ad tectum rettulit ille pedes;  
ac male dissimulans; «Tuus exsto vicarius, inquit.  
    Cumque mihi costas dira flagella secant,  
inde tuas pariter cruciant». Dixitque togatus:  
«O utinam simili verberer usque modo!»

ISIDORIUS MAULEÓN

## 260. — EPITAPHIUM (1)

Hic Diophantus habet tumulum, qui tempora vitae  
    Illiis mira denotat, arte tibi,  
Egit sextantem juvenis: lanugine malas  
    Vestire hinc coepit parte duodecima.  
Septante uxori post haec sociatur et anno  
    Formosus quinto nascitur inde puer.  
Semissem aetatis postquam attigit ille paternae,  
    Infelix subita morte peremptus obit.  
Quatuor aestates genitor lugere superstes  
    Cogitur; hinc annos illius assequere.

(1) Quo aetatis anno Diophantus mortuus est?

Qui aenigma et ephitaphium intellegant, in PALAESTRA suis responsionibus solvant. Epitaphium inventum est in archivo diocesano Oveti. Nobis illud misit Dnus. Aloisius Cortina, Pber., illius Seminarii Magister, cui gratias referimus.

## PRETIJUM SUBNOTATIONIS ANNUAE

15 pesetarum in Hispania et America. 17 pesetarum in reliquis civitatibus.  
Pretium mittatur oportet ad Administratorem: Lauria, 5, Apartado 1042, Barcelona  
Scripta ad moderatorem: Conde, 2, Barbastro (Huesca)

Typographia — F. Camps Calmet. — Teleph. 54. — Tarregae in Ilerda Prov.